

Communicatur ergo his omnibus qui justificantur, et non aliis.

5. *Angeli filii Dei.* — *Adam in statu innocentie filius Dei adoptivus.* — Ex qua resolutione inferit D. Thomas, in solut. ad 2, etiam Angelos sanctos, esse filios Dei adoptivos; sic enim Job. 1 et 2 vocantur *filii Dei*; non sunt autem filii naturales, de hac enim filiatione loquens Paul., ad Heb. 1, dixit: *Cui enim Angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu?* ergo adoptivi. Et ratio facta etiam hoc convincit, quam optime indicavit Athanas., orat. 2 cont. Arian., satis post medium, dicens: *Quod secundum naturam ex aliquo gignitur, id vera ejus progenies censendum est; qui vero ex virtute et gratia nomen solummodo filiorum obtinent, non natura, sed gratia jus liberorum habent.* Et post pauca sentit, hoc jus filiationis (quam adoptionem ibidem vocat), per Verbum Dei omnibus communicatum esse, tam qui in terris, quam qui in cœlis filii Dei effecti et nuncupati sunt. Nec refert quod Chrys., hom. 22 in Genes., dicat, in Scriptura nunquam Angelos vocatos esse filios Dei; constat enim ex citatis testimoniis Job, ita interdum esse appellatos; et quamvis in Scriptura nunquam hoc nomen illis esset tributum, non referret, quia satis esset rem ipsam in Scriptura doceri; docet autem Scriptura homines esse futuros similes Angelis, Mat. 22, et Angelos videre faciem Dei, Matth. 18, atque adeo esse participes divinæ hæreditatis, quod est esse filios adoptivos. Secundo sequitur, etiam Adam in statu innocentie fuisse filium Dei adoptivum, quia fuit creatus in gratia, et secundum præsentem justitiam illius status, habuit verum et proprium jus ad æternam hæreditatem. Nec refert quod postea illud amiserit, quia adoptivus filius perdere potest filiationem, et jus per adoptionem acquisitum. Neque etiam refert, quod a principio gratiam simul cum natura susceperit, quia non est de ratione hujus divinæ adoptionis, ut is, qui adoptatur, prius aliquo tempore gratia caruerit, vel fuerit in peccato, ut videntur sensisse Magister Sent., in 3, d. 10, et Alensis, 3 p., q. 10, mem. 4, in fine, quia hoc accidentarium est. Nam, licet Deus, in eo instanti in quo creat aliquem, illum justificet, concurrunt in illa justificatione omnes tres conditiones, quas supra diximus esse ad veram adoptionem requisitas. Et confirmatur, quia alias nec Angeli essent filii adoptivi, neque beata Virgo.

6. Tertio sequitur, omnes homines, qui

ante Christi adventum fuerunt justi et sancti, fuisse filios adoptivos Dei. Hoc aperte sequitur ex dicto principio, quia justificatio ipsa est adoptio; sed illi antiqui Patres vere fuerunt justi et sancti, ut constat ex tota Scriptura veteri, et ex Paulo, epist. ad Rom., c. 2, 3 et 4, ad Hebr. 11, et passim; fuerunt ergo vere ac proprie filii adoptivi. Et ita loquitur Chrysost., homil. 22 in Genes., de Patribus qui in lege naturæ extiterunt, exponens illa verba Genes. 6: *Videntes filii Dei filias hominum.* De Patribus autem Veteris Testamenti est aperta sententia Pauli ad Gal. 4, ubi comparat Patres Veteris Testamenti filio hæredi sub cura tutorum esistenti, et ad Rom. 9: *Quorum est, inquit, adoptio.* Et in Testamento tam Veteri quam Novo sunt frequentissima testimonia, in quibus Judæi vocantur, *filii Dei, et filii regni*, ut notatur Cyprian., in expositione Orat. domin.; et Athanas., dicta orat. 2 contra Arianos, et in serm. de Pass. et cruce Dom., fere in fine; et Cyril., lib. 1 in Joan., cap. 14; Chrysost., hom. 13 in Joan., et hom. 14 super ad Rom.; et Augustin., lib. 3 contra duas epist. Pelag., cap. quarto.

7. *Patres antiqui quomodo filii Dei adoptivi.* — *Adoptio filiorum Dei quomodo per Christum data.* — Dubitat autem Cyrillus supra, si adoptio filiorum Dei communis fuit Patribus Veteris Testamenti nobiscum, cur per Christi adventum dicatur specialiter *data potestas hominibus, ut possint filii Dei fieri*, Joan. 1; et ad Galat. 4, dicatur venisse Christus, *ut adoptionem filiorum Dei reciperemus?* Et respondet, antiquorum Patrum adoptionem solum fuisse figuram et typum veræ adoptionis nobis conferendæ per Christum, et eandem doctrinam habet late Chrysostomus in citatis locis. Est tamen accurate explicanda, nam, sicut in illis Patribus fuit vera justitia ejusdem speciei et perfectionis essentialis cum nostra, ita etiam fuit vera adoptio, nec de hoc potest aliquis Catholicus dubitare. Tamen est differentia, quod illi Patres, ut bene Augustinus notavit, ex vi legis veteris non habebant veram justitiam et adoptionem, et hoc modo illa legalis adoptio et justitia erat figura veræ justitiæ per Christum dandæ, quam etiam illi consequerentur per vivam fidem ejusdem Christi venturi, et ut sic, magis ad legem novam quam ad veterem pertinebant. Deinde illi antiqui justi, licet vere essent filii, tamen non habebant statum filiorum, sed servorum, quia erant sub lege, et spiritu timoris ducebantur,

tur, unde erant tanquam parvulus, qui *quamdiu sub actoribus, et tutoribus est, nihil differt a servo.* Denique pro illo statu carebant perfectione gloriæ, unde non poterant adire perfectam hæreditatem, donec Christus veniret. Erat ergo illa adoptio vera, sed imperfecta; et hoc senserunt citati Patres, Cyril. et Chrys. Et propter has etiam causas merito dicitur adoptio filiorum data per Christum, et ad hunc finem ipsum venisse, tum quia illam adoptionem antiquorum Patrum per ipsum data est; tum etiam quia per eum a jugo et servitute legis liberati sumus, *et statum filiorum accepimus, et spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba, pater;* tum denique quia per ipsum aperta est janua regni cœlestis, in quo hæc adoptio erit plene consummata et perfecta. Propter quod Paul., ad Rom. 8, dicit, *nos adhuc gemere expectantes adoptionem filiorum Dei,* non quia nondum simus filii, si justi sumus; sed quia nondum consummatam perfectionem hujus adoptionis adepti sumus; sicut autem status adoptionis evangelicæ comparatur ad statum patriæ, ita suo modo status adoptionis, quæ erat sub priori testamento, expectabat et desiderabat perfectionem et statum legis novæ, quam omnem perfectionem Christus nobis attulit, et ideo merito venisse dicitur, *ut per eum, adoptionem filiorum reciperemus.* Et ex his facile colligitur concordia omnium Scripturarum, et Sanctorum qui de hac materia loquuntur. Neque occurrit nova difficultas quæ nostra expositione indigeat. Nam, licet hoc loco soleant plura argumenta multiplicari, nullum tamen occurrit, quod difficultatem ingerere possit. Quantum vero lex evangelica superet in gratiæ perfectione legem veterem, non est in hoc loco tractandum, sed in 1. 2, q. 107, ubi de hac comparatione D. Thom. disputat. Interim videri possunt Chrysost. et August., citatis locis, qui de eadem re copiose disserunt.

8. *Homines justi omnes sunt filii Dei adoptivi.* — Quarto, sequitur ex dicto principio, omnes homines justos, etiamsi sint præsciti, esse filios Dei adoptivos; e contrario vero omnes, qui sunt in peccato mortali vel originali, etiam si prædestinati sint, pro eo tempore quo gratia carent, non esse filios adoptivos. Hoc etiam certum est, et colligitur ex omnibus illis Scripturis quibus supra probavimus, hanc adoptionem in ipsa justificatione conferri. Et ratione patet facile utraque pars, quia, posito fundamento et termino, resultat

relatio in supposito capaci illius; sed licet homo sit præscitus, tamen quando justificatur, veram justitiam et gratiam recipit, et efficitur vivum Christi membrum, quod est de fide certum, ut constat ex materia de gratia et de Ecclesia; ergo pro tunc est vere particeps divinæ naturæ, et acceptus ad gloriam, quia habet gratiam, quæ est pignus hæreditatis æternæ; ergo resultat in illo relatio filiationis adoptivæ, quia habet in se fundamentum talis relationis, et terminus deesse non potest. Unde Paul., ad Rom. 8, generalem regulam statuit: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Et confirmatur, nam, cum filiatio adoptiva non sit intrinseca et connaturalis, sed adventitia, non est de ratione illius, ut immutabilis sit; ergo, quamvis Deus præsciat hominem amissurum hanc filiationem, tamen, quamdiu gratiam habet, verè est filius adoptivus. Sicut verè est homo sapiens, quamdiu sapientiam habet, licet Deus prævideat fore ut illam amittat, et stultus efficitur; et inter homines verè est filius adoptivus, qui re ipsa nunc acceptus est ad hæreditatem, licet postea contingat propter sua demerita et hæreditate et adoptione privari. Et proportionali ratione demonstratur alia pars, quia non posito fundamento non resultat relatio; sed in homine carente gratia, quantumvis prædestinatus sit, non est fundamentum hujus relationis. Quia (ut diximus) hæc relatio realis est, et fundamentum ejus est aliquid intrinsecum et inhærens, et non sola prædestinatio, quæ est actus Dei extrinsece tantum denominans prædestinatum. Confirmatur et explicatur a simili: nam, licet homo habeat voluntatem et propositum adoptandi alium in filium, tamen quamdiu re ipsa illum non adoptavit, non potest dici filius adoptivus; ergo simili modo, etc.

9. *Præsciti, quamdiu justi, filii Dei adoptivi.* — Circa hoc autem graviter lapsus est Gabriel in 3, dist. 10, ubi negat præscitos esse filios adoptivos, quia non sunt per voluntatem Dei ad hæreditatem præordinati. Sed est plus quam falsa sententia, et in virtute damnata in Concilio Constantien., sess. 8, et 15, ubi contra Joan. Hæc definit, præscitos posse aliquando esse justos, et viva membra Ecclesiæ. Et e contrario prædestinatum, si in peccato mortali sit, pro tunc non esse filium Dei, sed filium iræ. Unde 1 Joan. 1 generaliter dicitur: *Qui facit peccatum, ex diabolo est;* et e contrario: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen*

ipsius in eo manet; et infra subdit: In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.

10. Ad fundamentum autem Gabriellis respondetur, reprobum non esse ordinatum ad hæreditatem per voluntatem absolutam, qua illum Deus elegerit ad gloriam, sed per voluntatem antecedentem dandi gloriam, cum qua conjuncta fuit voluntas efficax dandi gratiam, et jus ad gloriam pro aliquo tempore; nam hoc est satis ut pro illo sit filius et hæres. Quia revera, si in eo statu decederet, re ipsa consequeretur hæreditatem, juxta illud 2 ad Timot. 2, ubi, postquam Paul. de prædestinatis et reprobis, et de vasis aureis et fictilibus locutus est, concludit: Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino; et ideo, 1 ad Cor. 10, admonet justum, dicens: Qui stat, videat ne cadat; et Apocal. 3: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. E contrario vero, licet prædestinatus sit electus, et præordinatus ad gloriam per absolutam Dei voluntatem, tamen non est vere filius, donec effectum illius voluntatis recipiat, saltem quoad justificantem gratiam; sicut non dicitur esse creatura, donec actu creetur, quamvis ab æterno habuerit Deus voluntatem creandi illam.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus¹.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus. Dicit enim Hilarius², de Christo loquens: Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur. Ergo Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.

2. Præterea Augustinus dicit, in lib. de Prædestinat. Sanctorum³, quod ea gratia fit ab initio fidei homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Sed alii homines sunt Christiani per gratiam adoptionis. Ergo et ille homo est Christus per adoptionem, et ita videtur esse filius adoptivus.

¹ Infra, d. 32, art. 3, et q. 43, art. 1, corp.; et 3, d. 10, q. 2, art. 2, q. 3; et 4 cont., c. 4; et Verit., q. 29, art. 2, ad 1.

² Lib. 2 de Trinitat., a med.

³ Cap. 15, ante med.

3. Præterea, Christus, secundum quod homo, est servus. Sed dignius est esse filium adoptivum, quam servum. Ergo multo magis Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.

Sed contra est quod Ambrosius dicit in libro de Incarnat.¹: Adoptivum filium non dicimus filium esse natura, sed cum dicimus natura esse filium, qui verus est filius. Christus autem est verus et naturalis Dei Filius, secundum illud 1 Joan. ult.: Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo: ergo secundum quod homo, non est filius adoptivus.

Respondeo dicendum, quod filiatio proprie convenit hypostasi vel personæ, non autem naturæ; unde et in prima parte dictum est², quod filiatio est proprietatis personalis. In Christo autem non est alia persona vel hypostasis, quam increata, cui convenit esse Filium per naturam. Dictum est autem supra³, quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur, aliquid dici participative, quod per se dicitur. Et ideo Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus. Secundum autem illos, qui ponunt in Christo duas personas, vel duas hypostases, seu duo supposita, nihil rationabiliter prohiberet Christum hominem dici filium adoptivum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut filiatio non proprie convenit naturæ, ita nec adoptio. Et ideo cum dicitur, quod carnis humanitas adoptatur, impropria est locutio. Et accipitur ibi adoptatio pro unione humane nature ad personam Filii.

Ad secundum dicendum, quod similitudo illa Augustini est intelligenda quantum ad principium; quia, scilicet, sicut sine meritis quilibet homo habet ut sit Christianus, ita iste homo sine meritis habuit ut esset Christus. Est tamen differentia quantum ad terminum, quia, scilicet, Christus per gratiam unionis est Filius naturalis, alius autem per gratiam habituales est filius adoptivus. Gratia autem habitualis in Christo non facit de non filio filium adoptivum, sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi, secundum illud Joan. 1: Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

Ad tertium dicendum, quod esse creaturam, et etiam servitum vel subjectio ad Deum, non

¹ Cap. 8, in fin.

² Q. 33, art. 2 et 3.

³ Art. præc.

solum respicit personam, sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione. Et ideo non est similis ratio.

COMMENTARIUS.

Responsio D. Thom. est, cum Christus sit Filius Dei naturalis, nullo modo dici posse filium adoptivum. Quæ assertio, et ratio qua D. Thom. illam probat, difficultatem habent, quæ prolixiori expositione indiget, quam sequenti disputatione trademus.

DISPUTATIO XLIX,

In duas sectiones distributa.

DE FILIATIONE CHRISTI IN ORDINE AD DEUM.

Quod Christus Dominus, ut est Verbum Patris, sit Filius Dei naturalis, ut articulum fidei supponimus, contra Arianos hæreticos. Unde sequitur contra Nestor. et alios, qui duas personas in Christo posuerunt, absolute et simpliciter Christum hominem esse Filium Dei naturalem per communicationem idiomatum, juxta illud 1 Joan. 5: Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus. Et idem colligit Adrianus Papa, in Epist. ad Episcop. Hispan., et Concilium Francof., ex variis locis Scripturæ, in quibus Christus dicitur proprius Filius Dei, Matth. 16: Tu es Christus Filius Dei vivi; Luc. 1: Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei; et ad Rom. 8: Proprio Filio suo non pepercit. Et ideo notant, Christum singulariter loqui de Patre suo, Joan. 5: Pater meus usque modo operatur; Joan. 10: Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est. Joan. 17: Pater, clarifica Filium tuum. Joan. 20: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, hac distinctione indicans, aliter esse Patrem suum, aliter nostrum. Unde etiam advertunt nunquam communi affectu dixisse nobiscum: Pater noster, sed, Pater vester, vel Pater meus, ut patet Matth. 5, 6 et 7. Denique ad hoc probandum congerunt varia Sanctorum testimonia, quæ non oportet referre, quia, suppositis quæ de una persona Christi, et de communicatione idiomatum dicta sunt, nulla in hoc est difficultas. His ergo suppositis, duo in hac disputatione examinanda supersunt. Primum, an filiatio divina conveniat Christo homini, non solum per

communicationem idiomatum, sed etiam formaliter in quantum homo est; et deinde qualis sit ista filiatio.

SECTIO I.

An Christus, in quantum homo, vere ac proprie possit dici Filius Dei.

1. Ratio dubii est primo, quia Christus, in quantum homo, non est Deus, ut supra, q. 46, dictum est; ergo in quantum homo non est Filius Dei, quia Filius Dei est Deus. Secundo, quia, si in quantum homo, est Filius Dei, ergo in quantum homo habet relationem filiationis ad Deum; sed omnis relatio, quam Christus in quantum homo habet ad Deum, refertur ad totam Trinitatem; ergo Christus in quantum homo erit Filius totius Trinitatis; atque adeo Spiritus Sancti et Verbi, quod est absurdissimum. Minor probatur, quia Christus in quantum homo est effectus totius Trinitatis. Tertio, quia Christus in quantum homo non est Filius Dei naturalis, quia non procedit a Patre per æternam generationem in quantum homo. Neque est filius adoptivus, quia non est persona extranea; ergo non est Filius.

2. Propter hæc argumenta nonnulli existimant, licet certum ac de fide sit, dicere Christum, simpliciter et absolute loquendo, esse Filium Dei, tamen cum illa determinatione, in quantum homo, id non posse vere affirmari. Sed hæc sententia est sine dubio falsa. Unde ad explicandam veritatem, advertendum est primum, filiationem ad Deum variis modis accipi posse: primo propriissime pro filiatione naturali ac personali, qua constituitur secunda persona Trinitatis; certum autem est, Christum, ut hominem, non referri ad Deum hac filiatione. Secundo, impropriissime et valde analogice pro relatione creaturæ ad Deum, prout dicitur Deus pluriæ pater; et de hac etiam non agimus; quomodo enim Christus ut homo sit creatura, supra explicatum est. Tertio, pro filiatione fundata in gratia habituali, quæ in puris hominibus est filiatio adoptiva. Quarto, pro filiatione, si quæ esse potest, fundata in gratia unionis, et de his duabus hoc loco disputamus, et præsertim de ultima. Secundo est advertendum, illam particulam, in quantum, posse reduplicative et specificative teneri, hic autem non sumi priori modo, tum quia certum est humanitatem non esse rationem et causam ob quam Christus est Filius Dei, quia ex reduplicativa pro-